HIERONYMUS. BEDA VENERABILIS
Admont, 12. Jh. Seite 53r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26202
Copyright: Admont, Benediktinerstift





carnis malicia uniuersas significat corporis uoluptates.
Sic ergo inquit bonis huius seculi fruere. ne aut desiderio aut
carne delinquas. Relinque antiqua uitia quibus in ado
lescentia tua uanitati stulticieque seruisti. quia iuven
tus insipientie copulata est. Et memento eius qui creauit te
in die iuuentutis tue ante quam ueniant dies malicie
et propinquent anni in quibus dices. non est mihi uoluntas in eis.
Semper memento creatoris sui et sic adolescentie uiam gradere
ut mortis ultime recorderis ante quam tibi tempus adue
niat quo tristicie queque succedant. ante quam tenebrescat
sol. et lumen. et luna et stelle et reuertantur nubes post plu
uiam. Si de generali consummatione mundi accipimus. uerbis
domini hoc capitulum congruit in quibus ait. erit tribulatio
et angustia qualis non fuit a principio creature sed neque fiet.
Sol enim tenebrescet. et luna non dabit lucem suam et stelle cadent
de celo et uirtutes celorum mouebuntur que sunt custodes domus
ita ut domus intellegatur hic mundus. uiri uero fortes erro
re decepti et dissipandi contrarie fortitudines. Quod si specialis
unicuique consummatio ad uite huius finem refertur. et sol et
luna et stelle et nubes et pluuie ei esse cessabunt qui mor
tuus fuerit. Aliter. Letare adolescens opple xpiane et fru
ere bonis que adeo tibi concessa sunt. et in his omnibus scito te a
domino iudicandum nec putes quia priores rami fracti sunt.
et tu insertus es in radicem bone oliue. idcirco te esse secu
rum sed aufer iram a corde tuo et a corpore uoluptates et ce
teris uiciis derelictis. memento creatoris tui ante quam tibi
dies malicie dies ueniat insanabilis. in qua peccantibus
pene sunt preparate. ne cum peccaueris occidat tibi sol iusti
cie meridie. et scientie lumen intereat et splendor lune